



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 3. De simplicitati opposita duplicitate, & simulatione. Ex Veteri, & Ex Novo. Patribus, & alijs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

id est, simplices, candidos, ingenuos, pudicos, rectos, amabiles, manuetos. Sept. vertunt: *Oculi tui columbae*; in Nominativo plurali q. d. oculi tui adeo belli, candidi, amabiles, sunt; ut non tam columbini, quam columbae ipsae esse videantur. Cornelius hic. Oculi cordis tui simplices, & mundi; atque ab omni duplicitate fallendi, ac simulandi, prorsus immunes. V. Beda l. 2. hic.

*Ego flos campi.* Cant. 2. 1. id est, simplicitum. Hugo Card. hic.

*Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Cant. 5. 10. En, unde sit sponsi sui laudes exorsa Ecclesia! Nam & ipsemet, decoris sui pompam explicaturus in Thabor, nullas gemmas advexit, nulla sparsit aromata; non aurum vultui, aut vesti, imposuit; unum non neglexit candorem, Matth. 17. 2. *resplenduit factes ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*: Geminò frontis, vestisque candore; quem è luce, & nive, hausit, pompam omnem gloriae inclusit. Et cunctatis etiamnum in amplexum volare sinceritatis? Idem ibid.

*Veni de Libano, coronaberis.* Cant. 4. 8. An nescis, candere praë nive Libanum? Quid porò in candore designatur nivium, nisi animi candor ingenui? Nusquam non candet, cum placet. *Una est columba mea, perfecta mea.* Cant. 6. 8. Oliva l. 1. Strom.

### Ex Novo.

*Et simplices, sicut columbae.* Matth. 10. 16. Quid opis in conflictu simplicitas afferet pugnantibus in feras? quid columbae cum lupis? age, videamus, ut animi ingenuitas, & lorica, & gladius, sit; eaque validius, quam ferrò, contra omnes hostes, muniamur. Nemo Etai lupum esse negabit, & Jacob columbam; vel in utero matris conflixere. Sed ter supplantatus à Jacob Esau, modò pede retinetur, nè nascatur; modò lente in mercimonium adigitur principatus; modò patinà deluditur, speque sua cadit. Et quibus pugnavit armis columba contra lupum? candore suo. Gen. 25. 27. *Factus est Esau vir gnarus venandi, Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.* Prov. 2. 21. *qui enim recti sunt, habitabunt in terra, & simplices permanebunt in ea: impii verò de terra perdentur.* En, ut sua stet mole simplicitas; cumque fugae aprior columba videatur, quam constantia; stabilitur tamen pennis in bases obduratis. Fortè, inquit, nullis oppugnatur adversariis: imò deridetur *justi simplicitas.* Job. 12. 4. Et Prov. 29. 10. *viri sanguinum oderunt simplicem.* Et tamen, licet probro sit candor, & odio; triumphat de astutia. *Qui decipit justos in via mala, in interitu suo corruet, & simplices possidebunt bona ejus.* Prov. 28. 10. Quà freti armaturà penetrabunt simplices in possessionem, praediaque astutiae? nullà, sed inermes ipsa simplicitas levabit. *Simplicitas justorum diriget eos; & supplantatio perversorum vastabit Polyanth. Sacra. Tom. II.*

*illos.* Prov. 11. 3. Oliva l. 1. Strom, §. Et simplices sicut columbae.

*Talium est regnum caelorum.* Matth. 19. 14. Nè ministri Christi obnoxii essent duplicitati, & simulationi; Christus Evangelium condidit in perpetuis, sinceritatis, & candoris, pronuntiatis: modò è caelo evocans simplices columbas; modò infantes sine dolò sibi in gremium admovens; mox suos, oves simplices vocans. *Talium est enim regnum caelorum.* S. Hieron. l. 3. Matth. significanter dixit, *talium*, non aliorum: ut ostenderet, non aetatem regnare, sed mores: & his, qui similem habent innocentiam, & simplicitatem, praemium repromitti. Oliva t. 2. conc. 31.

*Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae: quòd in simplicitate cordis, & sinceritate Dei; & non in sapientia carnali-conversati sumus in hoc Mundo.* 2. Cor. 1. 12.

### Ex Patribus, & Aliis.

Cordis simplicitas, dies est; quam fraus non obnubilat, non obtenebrat mendacium, non obscurat invidia, non obfuscat dolus: quam lux veritatis illuminat, praesentiae divinae claritas illustrat. S. Gregor. in Pl. 5. penitent. In quacunque die &c.

Habet & Christiana simplicitas infantiam suam. Sicut enim infans nescit irasci, fraudare non novit, referre non aude; ita & Christianitatis infantia laedentibus non irascitur, spoliatis non resistit, caedentibus non repugnat. Sanct. Maximus hom. 4. in festo Pasch.

Persea. Lem: *Concordia cordis, & oris.* Fructus arboris Persea formam cordis praesentat; folium autem cum lingua similitudinem habet. Plutarchus. Picinelli.

### §. III.

*De simplicitati opposita duplicitate, & simulatione.*

### Ex Veteri, & Novo.

**C**Ain Abelem deambulatum duxit: *egrediamur foras.* Gen. 4. 8. Absolon Amnonem ad epulum lautum invitavit. 2. Reg. 13. 16. Jahel Sisara conciliavit somnum Judic. 4. 19. Samsonem Dalila blanditiis irretivit. Judic. 16. 19. Trypho Jonathan honoratò hospitio excepit. 1. Machab. 12. 42. S. Chryost. hom. 16. ad pop. decipientium maximè hoc opus est; prius suavia proponere, quòd mox inferant tristitia.

*Et levavit Saul vocem suam, & flevit; dixitque ad David: justior tu es, quam ego &c.* 1. Reg. 24. 17. 18. Nihilominus David tunc magis timet, & cum suis in verticem montis paulatim recedit. Cur? Carthusianus: David, & viri ejus, conjece-runt, quòd brevi eos insequerentur. Alvarez Illustr. 41.

0000

Magister,

*Magister, scimus, quia verax es &c.* Matth. 22. 16. *Cognitâ autem JESUS nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocrite?* Amorem verba sonant; cor infectum est nequitia. Lyran: dum voce aures demulcet, ad scopulos trahit, ut allidat. Prov. 27. 6. *meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Alvarez Illustr. 41.

*Rogo ergo te Pater, ut mittas eum in domum patris mei &c.* Luc. 16. 27. Sanct. Chrysol. f. 123. dives Lazarus ad domum patris sui non misericors, sed miserandus, invitatur; quem totò tempore substantiâ miseratione suis incumbentem januis non exceptit: & sub specie pietatis, ad pristina vulnera, ad præteritos gentis, Lazarus vult redire.

*Motiva duplicitatem hanc vitandi.*

#### Ex Veteri.

*Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel.* Ex. 12. 15. Cur? Abulens. abhorruit Dominus semper à mixturis.

*Agrum tuum non seres diverso semine &c.* Levit. 19. 19. Voluit DEUS hac ceremoniâ, scilicet simplicitate seminis, & vestis, quàm duplicitate, ut simplicitatem commendaret in omni re. Deus enim, cum sit simplicissimus, amat simplicita; & adulterinas mixtiones, sive carnis, sive spiritus, in suo cultu odit, & vetat. Ità Theodoretus apud Cornelium hic.

*Non indueris vestimentò, quod ex lana, linòque, contextum est.* Vetat Deus Deut. 22. 11. non gestandam vestem ex lana, & lino, textam. Cur? voluit nos simplices esse, & simpliciter apud proximos conversari, Oleaster hic.

*Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus.* Pl. 11. 1. Qui olim urfos, & leones, laceravit, quid nunc timet ab hominibus? *Labia dolosa in corde, & corde, locuti sunt.* v. 3. Euthymius: aliam intrâ animum sententiam servant; & aliam verbis exprimunt. *In corde, & corde, locuti sunt.* Homini Deus unum cor præbuit, illi duplex habent: ergo impii sunt. Alvarez Illustr. 41.

*Verba bilinguis &c.* Prov. 18. 8. Hugo Card: dicitur bilinguis, qui duabus linguis loquitur; bona hic, mala illic; unum in aure istius, aliud in aure illius; qui bona dicit in præsentia, mala autem in absentia.

*Capite nobis vulpes parvulas.* Cant. 2. 15. An ibi nullum ferarum genus, exceptis vulpibus? imò pardi, & leones, & dracones, feviebant. Cant. 4. 8. *de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Cur ergo, incuria leo-

num, vulpes insectatur? Quia scit Ecclesia, desperatiùs lacerari viscera sua glificente politica, quàm debacchante crudelitate. Leonum unguibus, quasi aratro profectis, germinavit Ecclesia. Quot Martyres sub Nerone? At repentibus vulpibus nusquam Martyres; sed ubique excucullati, schismatici, hæretici, athei, Oliva l. 3. Strom. §. Collegerunt Pontif.

*Sentite de Domino in bonitate; & in simplicitate cordis querite illum.* Sap. 1. 1. *Abominatio Domini est illisur, & cum simplicibus sermocinatio ejus.* Prov. 3. 32.

*Sufurvo, & bilinguis, maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.* Eccl. 28. 15. Hugo Card. Sic serpens habet linguam bifurcatam.

*Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrinâ.* Sophon. 1. 8. Qui scilicet, interprete Hieron. in uno corpore plures gestant animos, in uno ore plures personas gerunt. Mendoza in 1. Reg. annot. 4.

#### Ex Novo, Patribus, & aliis.

*Cum gustasset, noluit bibere.* Matth. 27. 34. Acetum bibitur; vinum cum felle non bibitur: non quia fel; sed quia admixta vino amaritudines recusantur. S. Ambros. in Luc. 23. unus autem de his &c.

*Si autem nequam fuerit &c.* Luc. 11. 34. Duplex corde est, qui agit versute, cum quibus loquitur, & obversatur: nam unum est in corde, aliud in ore; cum ore blanditur, cum corde decipere tentat. Sim. Cass. l. 7. c. 6.

*Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia agni; & loquebatur sicut draco.* Apoc. 13. 11. Hæc bestia significat insignem pseudopropheta, principalem, & Ducem Antichristi, Sed corpus discrepat à voce. Ecce idea iniqui Magistri: præsentia agnum ostendit, ut se facile aliis valeat insinuare; sed voce deglutit. Ansbertus: assumit agni speciem, ut draconis exerceat operationem: agnum fingit, ut agnum invadat. Sylveira addit. in Luc. 8.

Cave simulatam mentem habere ô homo, propter illum, qui scrutatur corda, & renes. S. Cyrill. Jeros. Catech. 1. Illuminatorum.

Malum est iniquitas; sed pejus est, simulare justitiam. Malum est invidia; sed pejus est, simulare amorem: Malum est superbia; sed pejus est, simulare humilitatem, &c. Semper simulator se contegit verbis; nec amico loquitur recta, decipit eum ore; ostendens amorem, quem non habet; offerens obsequium, quod facere non intendit: dicit, se gaudere de prosperis, de quibus dolet; de adversis dolere, de quibus gaudet in corde. Sim.

Cass. l. 8. c. 32.



TITU.